In Funere
IOSEPHI
A--GIACETO
Casteluillani Comitis
&c.

ORATIO

Felicis Verduccioli

Perusiæ

Idibus Sept. MDCXLIII.



ORATIO.



Apienti consilio à maioribus institutum posteri laudabiliter tenent, vt ijs maximè rependatur munus publici funeris egregijs Viris, qui sui immemores, benè in hostem pugnando, in publicæ defensione quietis vitam liberaliter profudere. Nimirùm has lacrymas Animæ ingentes illo sanguine iure mercantur, nec fortasse parùm interest nostra, qui superfumus, reddita videre Virtuti præmia, gratamque memoriam extinctis, & eorum sperare decus audere, quorum facta æmulemur.

Cui honos cui iustiùs debetur, quàm nobilissimo Iuueni *Iosepho Agineeto Aquauiua, Castelmillani Comiti, Marchioni Ascici, Duci & Pari Galliarum*, prima armorum velitatione tam fortiter proludenti gloriæ suæ, quàm securitati nostræ intempestiuè prærepto? Aut quandò magis seruandus colendusque mos est, quàm vbi imperio Optimi Principis ad meritissima excitamur officia complorationis & laudum? Conquiescere hostilia interim arma, quàmuis propè auribus ad quartum lapidem obstrepentia, nec turbare volent exequias veneratione vel metu. Nostra certè redire non commodè possunt ad munia, nisi iustis antè commilitoni tam caro solutis,

& composito tumulo, & affusis lacrymis. Sic mœstis vultibus milites, mœstioribus animis parentalia celebrant, versis miserè telis, signisquè verrentibus solum.

Qui scit, vt olim visa *Cæsaris* tunica *Romæ* populus furorem cæpit ad arma, an ipsi quoquè spectaculo seù commemoratione permoti capiamus in vltionem? Quanquam verò Augusta pubes satis ipsa incitata, minimè egere potest hoc stimulo. tantùm illa sui nutū Imperatoris expectat impatiens. Erit erit animus quodcunque iniunxeris exequendo, & tutandis par mœnibus, & hostibus propulsandis. Si fieri eruptionem libeat, totam portis omnibus prorumpere Ciuitatem videbis, nullo ætatum ordinumquè discrimine. & qui modò ferre arma possumus, stragem hosti portabimus. Nec nos toga ista inuoluet, facilè futura pro sago; succinctique media in agmina prouolabimus, vibraturi pro stilo telum RELIGIONI ET LIBERTATI, PRINCIPI ET PATRIAE. Vel, quod omen Deus auertat, si nouitius hic *Annibal* vrgere Vrbem artiùs intendat, mutabit ille nobis fortunam, non fidem; vt Saguntina quadam rabie suis ipsa flammis tantò PERVSIA fiat illustrior, quantò iustior est caussa. Vel apertis effusi campis, nec inulti animam amittentes, si non suo, nostro saltem cruore hostem inundabimus; si non virium robore impetum, at obiectu corporum retardabimus. Tum

nostro

nostro auctus sanguine Tyberis, notas illas candidi affectus feret; nostrorumque cadauerum tot ora, quot vulnera, vbi secundo prouoluta flumine munimenta Vrbis intrauerint, dicant. *Hæc sui supremæ mittit pignora obsequij DOMINÆ ROMÆ, VRBANO PATRI PERVSIA FIDELIS.*

Sed me ardor abripit A. & augurari meliora iam donat noui *Decij* noua pietas, suum pro nobis caput constantissimè deuouentis. quæ nec auertere Orationem meam aliò patitur, seque intueri vnam iubet.

Nam profectò de Nobilitate clarissimi generis, præsertim vbi tanta sit animi Virtus, dicere, nesciam Nobilitatis grauior an Virtutis futura iniuria sit. Iniuria certè fuerit Nobilitatis, si quæ meridiano Sole conspectior micat, eam facula putem Oratoris indigere, quà luctus quà ingenij tenebris obscuri. Nec Virtutis iniuria minor, externa adeòque aliena spectasse, quæ sua tantùm decora vult æstimari, suis ipsa præualens opibus, vulgaribus inimica plausibus, nullo tumosa titulo splendidæ vetustatis. Vt sileri præstet in totum, nec ea repeti longiùs, transuectam olim in Gallias ex primario Italicæ nobilitatis flore vtriusque prosapiam familiæ, & vel *Aquauiuæ* maternam, vel paternam *A-giacete*, præcipua perpetuùm potentia & gratia in Aula, præcipuo apud populares fauore, apud exteros fama, Præfecturis Ducatibus

Dynastijs, paludamentis fascibus purpuris claram, coronisque etiam ac sceptris Siculorum atque Aragonensium regum per affinitatis iura connexam, totque heroum heroinarumque parentem fœcũdissimam, quot in lucem dedit fœminas, & quot Viros. Vnus me rapit satis detinetque *Iosephus*, heu tantæ claritatis fulgor extremus. Ille propitio cœlo in hanc lucem editus vitæ simul & Domus, de meliore formatus luto, animatus aura, cum Musis propè vagire est visus, Musarum in sinu feliciter enutritus, ductusque sedulò per eas artes, quibus erudiri in omnem laudem Nobilitas consueuit. Sed præcipuè interim, siue æmulatione domesticæ gloriæ, seu genio natalis soli, bellicosissimam vbique sobolem educentis, vel innata veriùs propensione ingenij sui, altiore quadam flamma ardere bellici decoris; nec Mineruæ amicus videri malle, quàm Bellonæ. Sic tamen, vt ea curaret in primis, quæ comparanda necessariò intelligeret futuro militi, & magnum in Ducem euasuro. Qui vel dirigentium monitu, vel suo ipsius instinctu, qua pollebat maturitate iudicij, probè nosset, *magis quidem nostra referre*, quod primarum sedium Sapiens dixit, *fortiores fieri quàm doctiores, sed alterum sine altero non dari*. qui & sæpiùs inaudisset, ingentia illa Imperatorum nomina Martialem demum in campum Palladia è schola prodijsse, nec pulchrum duceret validum

corpore,

corpore, infirmum animo.

Itaque cùm Lutetiæ Parisiorum vbi natus, inde *Aueniomensi* Academia, mox *Romana* & *Bononiensi* daret studijs illustre ingenium; incredibili temporis parsimonia, in laborem pertinax, somni modicus, deliciarum expers, voluptatum ignarus, id sat agere vnum intentus, vt Reip. quàm primùm vtilis, præuectus annos, sua maior expectatione, melior fama, quod expectare posset à tēpore, præriperet ab industria.

Sermones habere plures, non leue ad reliquæ vsum vitæ, maximumque in militari momentum. vbi tot variæ nationes moribusque discordes, communione istà linguarum facilè sociantur. Et quanta illa peritia Deus bone! *Ennium* suum tri-cordem appellauit antiquitas, tri linguem mirata, Græcè Oscèque & Latinè doctum. Qui differentem Italicè nostrum audiret, in Gallijs genitum moratumquè vix crederet: qui rursus Gallicè, nunquam patrijs è finibus pedem iuraret extulisse.

Nec fallere fortasse minùs Hispanos Illyricosque, si foret è lingua iudicium, potuerit, quàm Germanos fallere hostili ex acie heù nuper potuit, quibus eloquiò fraudem celante illatus, quot subitò clades intulit, cum volucri circumuectus equo, nec semel terrore attonitis elaberetur impune? Adeò non loqui solùm & intelligere expeditè, sed & scribere norat

pari in omnibus elegantia; sic vt in vna aliqua paucissimi solent. Iam verò Latina Venus, seu poetica luderet amœnitate, siuè altiùs oratoria maiestate tonaret, vel nullis Rhetorum infuscata luminibus, in familiares amicorum cógressus immeditata profflueret, quantum alijs vbiquè stuporis, illi peperit laudis?

Atque hæ satis linguæ videri debebant auido quàmuis ingenio, quæ commercio quodam Europam continent, & ad mutua pacis belliquè negotia committunt. Cupiditas tamen adegit expleri nescia, vt plurimarum veluti matrem ac reginam linguarum adderet Græcam, opinor nè vt *Cato* ille *Censorius* legatione aliquãdo functurus ad Græcos, opus haberet interprete; hausitque breui feliciter adeò, quasi vnum hoc studium tota vita tractasset.

Et alias quidem linguas alijs in locis, alijs alibi Doctoribus didicit. in Græca magistrum *Remæ* habuit Virum eruditissimum, quem honoris & affectus mei ergò nominatum hic volo, *Henricum Dormalium Leodiensem*, mihi ante annos aliquot *Perusiæ* cognitum & amicum.

Sic ille instructus excultusque tot linguis, cuias esset dubitatum à plerisque scio interdũ fuisse. ac te certè *Mithridatis* decus in longiore vtinam vita æquaturũ, septem illæ nationes septi-loquum sibi optarunt in ciuem, non vanè facturæ, quod *Homero* contigit, septi-patrium. Sed tibi placebat

Romano

Romano esse, Romanoquè spiritum dedicasse Pontifici, qui & animo clariùs quàm stemmate, regiam Liliorum pompam attolleres,

Vnde pia pascuntur APES.

Atqui laborare perpetuò linguæ, nũquam menti, ridicula enimuerò cura est, & os plenum habere facundia multiplici, omni vacuum pati cerebrum Sapientia. Non ità inclytus Comes; qui vel inter ipsa crepundia cum flores captaret, fructus legit, in id maximè anxius, nè videri puer posset in senectute, si sui tantùm temporis acta narraret. etsi Deus illi senectutem haud indulsit, cui esse dederat in puero senem. Sic solidæ quærens frugis, non voluptatis euanidæ, gnarus expeditum ac breue per veterum exempla ad prudentiam iter fieri, omnem Antiquitatem lustrat cupidissimè, videt recentia, Romanam Græcam barbaram terit historiam, colit Sacram, prophanam non spernit. Et benè debueras lectitandis historijs impensè oblectari, futurus & tu quondam illustris historiarum materia, nomen insigne; qui exitu tam glorioso debueras nostrorum temporum Annales nobilitare in omnem admirationem posteritatis.

Nec satis A. Ciuili naturalem addit, penetratque sacratiora Naturæ adyta,

Et quæcunque olim cartis latuere disertis;

potuitque iure philosophis accenseri; non eorum tamen numero philosophantium,

quorũ *philosopha sententia est, ignauum opera*, qui vt omnia sciant, nihil agunt, de libris tantùm pallidi, tenebriones à nocte, olidi è lucerna; iam pridem sepulchris digni corpore simul tegi cum nomine; qui viuentium è cœtu profugi sponte, mortualem quãdam cum mortuis vitam degunt, ac veluti criptis æternùm conditi, in veterum scriptis, Sapientum monumentis. Non ille, vt aliqui nummis modò vtuntur ad numerandum, quod scitè olim Atheniensibus obiecit *Anacharsis*, scientia vti duntaxat velle ad sciendum; sed operi serio addictus, ad mores cuncta vitamque referre.

Atque eo potissimùm fine Æthicæ instituit, excurrit Oeconomicam, totamque Politicen tenuit, & Mathematicas omnes, quæquè ad militiam propriè pertinent: vt vel instruere acies, arces ponere, vel suis hostem inuadere munimentis, nudare propugnaculis posset, quàm qui facillimè, prouectioribus ætate par multis, coæuorum superior omnibus, machinator admirandus.

Reddat hic mihi vnus testimonium nostri sæculi Archimedes, virtute eminentior quàm fortuna *Vincentius Card. Maculanus à Florentiola*, qui nimium quantum plausit sibi alumno tali, planget erepto; cui quicquid eximium in arte, arduum opere, nec procliue intellectu monstraret, igneo ingenio statim corripi, omniaquè vt

si ante percepta & nota in vulgus capi, ideò fortasse mirari desierat, quia iam illi solemne; non desinet prædicare dum viuet, quia nouitate rarum apud alios erit, quàm præclarum exemplo.

Et illa aliquid sunt A. delineare graphicè, saltare eleganter, voce vel fidibus canere modulatè, ferrum validè stringere, numeros gladij callere omnes, hastiludio præcellere, tela mittere vt nemo certiùs, equum domare vt *Alexander*, frænis flectere vt *Castor*. Aliquid dixi? imò magna, aliorum tamen comparatione minuta & minima.

Vel quanto gratior pulchrè habitans Virtus? & quæ illa formositas aspectusque viriliter toruus, & supercilium graue semiliter? illa frontis amœna maiestas, facies liberalis oblonga decens, confusus leni rubore candor & splendor dulcis, viuax oculorum coniectus & cæsius color, subflauo nitens castigata non lasciua cæsaries, liber inaffectatus incessus, & totius oris nulla nube læsa serenitas,& totius dignitas corporis Principe digna? vt non alium fulsisse quis meritò dicat intonsum Phœbum.

An supra humanæ linguæ audaciam fuerat, humana sub forma sine fabula Angelum dicere? talis certè integritas, talis vita, talis visus. Et videre equidem memini homine augustiorem, sacris in ædibus sacris precationibus intentissimè de-

xum, & tota mente abstractum in Deum: audiuiquè ab alijs posteà mira & stupenda. tanta vbiquè modestia, tantum vel in ipsa vitiorum nomina iuratum odium, tantus amor honesti & Virtutis. Sic ad humanitatem facti mores, & eruditæ consuetudinis blanda suauitas; nihil in verbis petulans, nihil arrogans in gestu, omnia continentia pudore comitate simplicitate venerabilia. Animi cultu præminere non corporis, temperare frugalitate cibos, sanctitate ludos, nescire ætatis vel Domùs illecebras, & per aspera quæque in laudem ire; erant ne ista demum claustris an castris nata, religiosæ disciplinæ meditamenta & præludia, an militari? O potiùs indolem cœlo digniorē, quàm terris! ò triumphantem prius, quàm pugnantem! ò antè victorem, quàm militem, exorsum feliciter victorias à victoria sui!

His igitur naturæ dotibus atque artibus præmunitus ingenij Heroū germinis Adolescens, & quod in tanta Virtutum fama vix credituros posteros putem, haud ità pridem posita puerili prætexta, octauum & decimum annum agens, audito, Catholicos in Italia Principes, quorum erat Catholicæ religionis caput, cœli clauigerum, Sanctiss. Diuinitatis interpretem, omni ope tueri atque defendere, inito inter se fœdere coniuratos, furialia in Ecclesiasticos fines arma inferre, & Apostolorum Principis Iura & Sacra omnia contu-

maciter

maciter lædere, proh quantus & quàm nobiles exarsit in iras! *Et me quoquè*, inquit, *rapiet hæc flamma. iuuat obuiam ire rebellibus, pectus obijcere, vel quo auspicio posuisse feliciùs militiæ rudimenta, quàm vbi cupressus degenerant in lauros, & clades ipsa victoria est; vbi tam optabile vinci quàm vincere, & pro Deo mori?*

Sic inter primores lectus in contubernium Principis, *Bononiam* ac *Ferrariam* profectum, & nostris accurrentem periculis nuper secutus, hic etiam visus; sed vsura temporis nimiùm breui, ac tanquam fulgur. O fluxa mortalium gaudia quàm citò vanescitis, & vos quàm momento semper fugaces humani generis deliciæ, caduci amores!

Dies ibat postrid. Non. Sept. nobis heu vel hac vna iactura nigros inter ac nefastos. Nostri biduò antè *Curtiani* castris emissi, duorum ferme millium peditum & quingentorum equitum agmine, cum tormentis campestribus omninò quattuor, substiterant imbre impediti ad Castellum, cui à *S. Martino* est nomen. Inde viso hoste non procul, cum leuibus, quantum coniectare & explorare potuerant, copijs, præuertere audacter placuit, quà rectà itur ad *Vrbem-plebis* & transitum occupare, quò primùm intenderant. Verùm ille totum exercitum è *Mansionis villa*, quibus se statiuis mensem tenuerat, per *Mont-bonum* & *Mugnanum* manè adducebat occultus, effectisque

lectisque duodecim pugnatorum millibus cũ duodecim tormẽtis maioribus, hærere antecedentium vestigijs passu non segni. Ita expectare insequentem, seque prælio expedire, consilium vel necessitas fuit. Sed quid tam pauci aduersus tam multos? & tamen ea militum virtus & prudentia extitit Ducum, vt non paullò plures ex hostium acie dicantur cecidisse, quàm è nostra, licet impulsa tandem, superante multitudine, & in parte disiecta. Atque vtinã nostras quoquè coniunctim cohortes reliquas, cum numero tum robore validiores, aduolare in auxilium laborantibus suis voluisset clemens Deus! potuit eo die vno certamine profligari bellum, & clausus in medio hostis venire in potestatem, vel deleri, vel fundi. Sic vbi reboantia tormentorum tonitrua ex vrbe cæpimus exaudire, surgentemque atras in nubes videre fumum (nec enim vltra duodecimum absumus milliare) credebamus non dubiè, non vanè natura præcipientes gaudia, plenumquè nostris meditantes Ducibus pæana Victoribus; virium videlicet benè gnari & locorum.

Planities minimè vastum in orbẽ, crebris irrigua riuulis, & Nestorio fœcunda amne, interiacentibus tumulis, & inæqualitate quadam læta procumbit, amœnis plerumquè ac frugiferis cincta montibus, vnde propè in Amphitheatri formam surgentia villarum oppidorũque culmina, quà ipsis

elata

elata verticibus, quà humiliore proiecta dorso, videntur quodammodò sui spectaculo velle pulcherrimo ludentis gaudentis Naturæ.

Nulla tamen regionem res commendat magis, quàm dextrorsum in medio supra viam colle, subiectum oppidulo *Montis Iouini*, Templum DEI-PARÆ, structura magnificum, donarijs opulentum, religiosum vndique suspensis tabellis & anathematis, multa populorum pietate etiam in longinqua celebre, & præsentissimo DIVÆ Numine.

In eum locum nostri subduxerant sese, & instruxerant pugnæ. Signo dato concurritur; horis aliquot dimicatur egregiè, paribus vtrinquè animis, non viribus.

Et quis ille ardor *Castelnillani Comitis?* audere omnia, nihil metuere, procurrere obiectos in ordines, perrumpere, circumire, globos disijcere, confertos fundere, & terrorem latè cædemquè facere, & lassare equos plures ipse indefessus, & modis omnibus ferire sternere eludere; voce alios manuque hortari, firmare, accendere, & vbique Martem Victoriamque ciere ferociter. *Castelnullanus* conspici in primis, vnus præ cæteris ostentari *Castelnillanus*, suis pariter hostibusque Ducique & militi laudatus, vt *Martis* pullus, vt *Amphitryonides*, vel vt alter videri *Tyndarida*.

Sed resciui. bono scilicet militiæ scito, non ille in aciem ieiunus exiuerat, sumpto com-

commodùm cibo, & largè ientâtus in templo; cum VIRGINE adorata suppliciter, detersis animæ puræ labeculis, quod & *Curtiano* dudum discedens fecerat, potentissimo Diuorum refectus ferculo, & vere militari viatico, renouato ad aram Sacramento addictissimæ voluntatis humillimæ, ex illo Augustali, ex illa mensa, veluti è cœlo missus, erupit.

Primus certamen inieras, & petiti hostis primum decus tuum est. Iam excede postremus, & sit sudoris & cruoris & laudum abundè. Heu parce tandem bellator inuicte, nimius animi. satis spectata Virtus vel hosti miraculo fuit. Parce, & te melioribus fatis reserua. Iam vides vndique cinctum latus, deprehensum solum, & truces in minas vultus, & collimantia in vnum tela. Iam pacem audis offerri, & vicisse contentos non tuum illos sanguinem, sed manum, & suam palmam exposcere. Tu tamen adhuc nescio quem propiùs ausum accedere, verbisque solicitare procacibus ad deditionem, indignatus iugulo traijcis subito ictu, equoquè exanimem deijcis, in vno paulisper aliorum audacia repressa. Tuæ beneficio dextræ, non clementiæ hostilis tuam debere salutem vis, an effugium. nec esse tibi gratum poterat munus, quod veniret ab ingratis. Pugnabas pro publica fide, pro Romano imperio, pro Sacrorum Rege Maximo, Petri Successore Optimo,

mo, Christi Vicario; qui nec Romano lauream tibi, sed cœlesti optaueras Capitolio. Ecce autem, heu me! nimbus ardens plumbeæ grandinis, VIVAT ECCLESIA VIVIT DEVS, clamantem medijs vocibus interrumpit.

O virtutis emeritæ veterana in ipso tirocinio felicitas; quæ dum victa cadere videtur terris, altiùs exurgens victrix expugnat cœlum. Referant alij gradum per accliuia, sequè tutos credant *Iouino Monte*. tu editiorem collem, munitiorem arcem spectabas olympum, & Iouem verum vindicem Deum. Nec interim à Diuina tua Pallade procul abscedis, vel auertis oculos, cui perpetuò hæsisse corde intimo gaudes. vt ea vicinitate Numinis alacer, fabuloso melior *salmoneo*, verè fulminares, nempe in Dominæ gratiam; tuique ardorem pectoris testatum maximè illo sub aspectu volueris; qui nec mercedem optares aliam, quàm belligeræ tuæ DIVÆ placuisse, quæ tibi sola stimulos faceret ad pugnam, animos adderet ad victoriam, stellarumque coronalium serta pararet in præmia.

Ac tibi quidem sic obeunti laudes debentur non lessus, elogia potiùs quàm lamenta, nec tam defuncto epicedia, quàm epinicia victori; vt funeralis pompa per tot egregiam meritorum memoriam celebris videri debeat triũphalis. Quis tamen

Myrmidonũ Dolopumuè aut duri miles Vlyssei

tem-

temperare possit à lacrymis, vel quæ Stoica duricies imperare dolori tanto ? Ingemuere milites cum cadente prolapsi, & quamquàm sustinere impressionem diutius poterant, puduit vltra pugnare vel vincere; nec dubiam cum campo, cruentam tamen ac luctuosam, hosti reliquere victoriam; qui & lacrymas fertur Crocodili dedisse, ipso nefas Imperatore damnante.

Et quod tuum pectus fuerit ad improuisi telum nuncij, Pater miserrime, pignore tam grandi orbe senex ? Qui tali tuo filio sospite ac superstite superare tibi meritò fortunam videbare omnium, qui liberos genuissent. Quæ non compositæ mentis firmitas, quod non infractæ constantiæ robur cedet vulneri, immanitati succumbet ? Agè tamen humanis affectibus altior, ostende te dignum illa opinione, quæ per Orbem de te sparsa; dignum illa, qua intimè frueris familiari consuetudine SVMMI Mortalium, & animo & sanguine coniunctissimus. Obscura antiquorum exempla documento ad posteros magis illustri, & quemadmodum pati acerba natorum funera Parentes debeant, discant à te, qui vnicum tuæ gentis fulcrum, spem illam vnicam amplificandæ ne-dum conseruandæ familiæ, illum tot prærogatiua Virtutum verè Principem Iuuentutis amittis & viuis. Agè Nati æmulare gloriam tui, sitisque per Deum his etiam titulis ambo

pariter